

Andreas Daniel Habichhorst Lucas Beselin

**Disquisitionum Exegetico-Theologicarum super Illustriora Prophetarum Loca  
Praellectiones Publicas Sub Incudem Revocantium Nona De Virgineo Conceptu  
Partuq[ue] Quo Immanuel in lucem prodiit . Ex Jsa. VII. 14 ...**

Rostochi[i]: Wepplingius, 1687

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733818242>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 24.Sept. 1687

Habichhorst, Andr. Dan. *ld*



DISQUISITIONUM EXEGETICO-THEOLOGICARUM  
super  
ILLUSTRIORA PROPHE TARUM LOCA  
PRÆLECTIONES PUBLICAS  
SUB INCUDEM REVOCANTIUM  
NONA

De  
**VIRGINEO**  
**CONCEPTU PARTUq;**

<sup>210</sup>  
**IMMANUEL** In lucem prodit. 146

EX ISA. VII. 14.

Alioq; Eiusdem VII cap. LOCO,

Quam.

Auspice DEO - Homine,

Pl. Reverenda Facultate THEOL. consentiente,

PRÆSIDE

**ANDREA DANIELE**  
**HABICHHORSTIO,**

S. TH. D. E. JUSDEMq; PROF. PUBL. ORD. & CONSIST.  
DUC. MEKELB. ASSESSORE DESIGNATO,

In Celeberr. Univers. Rostoch. Acad. Majori,

Ad d. XXIV. Septemb. hor. mat. 1687.

publicæ collationi Academicæ sistit

**LUCAS Beselin / Rostochiensis**

PHILOSOPHIÆ CANDIDATUS.

Rostochi, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr

DISPOSITION...  
LA...  
PRA...  
SUB...

VIRGINIA  
CONCERT PART II  
JMM...

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

ANDREA  
HAB...  
LUCAS...

De

*Achasi & domus Davidica incredulitate.*Disp.  
IX.

**P**ost decretum indurationis nationalis Jhudaicæ (ad cujus concionem Jsaïas specialiter ab ipso DOMINO in throno sedente, præcedente cap. 6. vocabatur) jam seqv. c. 7. gratiosum conservacionis domus Davidicæ ad usque tempora Messia filii virginis privilegium promittit Deus, ejusque præludium liberationem oblesæ urbis Jruschalem trepidanti Regi Achaso domuiq; Davidis per Jsaïam prædicit, juncta quadam incredulitatis reprehensione, his comprehensa verbis: **לֹא תִימְנֹן כִּי לֹא הָאֵמֶנּוּ**, quæ verba cum non tantum variè reddantur, sed à Pontificiis quoq; aliorum trahantur, quin paucis exponamus ejusq; sensum primò genuinum evolvamus & hoc fine tam varias ejus versiones ac sententias recenseamus, quàm genuinam stabiliamus; dehinc v. ab usum loci detegamus, facere profectò non possumus.

§. 2. Inter versiones (1) occurrit LXX. Viralis; *Si non credideritis non intelligetis*, quam certè multi ex Patribus & Pontificiis fontem non attendentibus amplectuntur. (2) Pagnini, Vatabli, Ariæ Mont. & Menochii: *Si non credatis* (sc. verbis meis, id fit, vel exinde est) *quia non constantes* (firmi, veraces) *estis* (3) Symmachi & Paraphr. Jonathanis, quos seqvuntur Vulgatus & Lutherus; *Nisi credideritis, non permanebitis* sc. in terra vestra, sed abducemini. Eidem favent Hakspanius, D. Smidius, B. Varenius & alii, conferentes locum parallelum 2. Chron. 20. **הָאֵמֶנּוּ בִיהוּרָא אֲרֵהִיכֶם וְהָאֵמֶנּוּ**. Eodem tendit Calvinus reddens: *Si non credetis, non stabitis*: ut & Piscator, Forerius & Anglicani verrentes: *non confirmabimini* s. *suffulciemini* i. e. non prosperabimini (4) Junii & Trem. *Annon creditis, quod non confirmamini?* sc. hac promissione Dei. Quam seqvitur Grotius qui-

M

us qui-

## ILLUSTRIORUM JSAIÆ LOCORUM

us, qui congruentius, inquit, sensui Ebræum sic verti posse videtur: *an ideo non creditis, quia non confirmamini?* sc. signo quodam conspicuo. Eandem amplectitur D. Pfeifferus in Dub. vex. *annon creditis* (sc. hætenus dictis) *nisi confirmemini* sc. aliquo signo?

§. 3. Quæritur autem, quænam ex his versionibus præstet sensumque genuinum exponat? Paucis: *Prima* τῶν LXX, à fonte longius abit, dum i. vocem ultimam וְנִמְנָנָה, quæ est 2. plur. Masc. Niphal à R. נִמְנָן, reddit *intelligetis*, quam significationem וְנִמְנָנָה non admittit. (2.) particulam וְ quia quod, in exilium mittit. *Secunda* quidem illud וְ rectè attendit, nihilominus tamen bis peccat: 1. minus rectè subintelligit voces: *id fit vel exinde est*: non n. hic Propheta inquit, unde fiat quod non credant; sed indicat, quid futurum sit, si non credant. Et 2. quomodo hic verborum sensus congruit: *Si non credatis, exinde est, quod non constantes estis?* Annon potius ex fide fluit constantia? annon fides prærequiritur, ut constantes in adversis, stabilesque simus? *Tertia* benè se haberet, si modo particulam וְ i. e. quia, quod, cum LXX non negligeret. Quod si v. juxta Anglicanos illud וְ per *profectò* sc. certè posset exponi h. m. *Si non creditis, profectò non permanebitis*, stabilis foret versio; ceterum acceptio talis particulæ וְ non satis liquet. Anglicani quidem citant loca Gen. 3. 1. Exod. 3. 12. sed prior planè alienus, posterior incertus est. Tandem *quarta* hæc: *annon creditis, quia non (nisi) confirmamini*, magis cum fonte convenit: nam 1. particulam illam וְ observat. 2. verbum נִמְנָנָה in Niphal, unde hic ultimū וְנִמְנָנָה, significat non tantum stare, firmum, veracem, constantem esse, sed & confirmari in veritate, stabiliri. 3. prima vocola נִמְנָנָה vulgo significans SI, aliquando *interrogativè* accipitur pro an, ceu docet Glass. in Phil. S. l. 3. Tr. 7. Can. 6. idque patet ex locis Jsa. 66. 9. Job. 6. 5. 6. 12. c. 7. 12. c. 10. 4. 5. Thr. 5. ult. Unde & נִמְנָנָה Job. 6. 13. cum הֲ interrogativo conjungitur & signifi-

gnificat *an*. Hinc & τὸ ἐν *fin* N. T. ad imitationē τῆς *an* interrogative sumitur Matth. 12. 10. c. 19. 3. & *ἴζησιν, an* licet. (4.) Favet contextus; nam in antecedd. Achasum trepidantem dehortatur Propheta v. 4. & trepidationi opponit promissionem de frustranea hostium insultatione v. 7. 8. 9. huic dehortationi & promissioni subjungit dicto v. 9. clausulam his verbis, Achasi & populi incredulitatē reprehendentibus: *annnon credetis* (promissis) *quia non* (nisi) *confirmamini* sc. signo aliquo? Favent consequ. nam seq. v. 10. & 11. datur potestas petendi signum, & v. 14. signum ab ipso DEO exhibetur.

§. 4. Frustra ergo Pontificii sunt, quando hunc locum, vel potius versionem LXX. primo jam numero in exilium missam, ad stabiliendū dogma suum planè insulsum, quo notitiam à fide salvifica rejiciunt & fidem melius per ignorantiam definiiri putant, obtorte quasi collo trahunt & detorquent: Ita enim Bellarm. l. 1. de justif. c. 1. arg. 1. §. 2. Probatur, inquit, *fidem non esse notitiam sed assensum; nam in primis Jsaïas c. 7. aperitè protestatur: nisi credideritis non intelligetis. Ibi videmus, fidem non esse intelligentiam, sed viam & gradum ad intelligentiam.* Et sub finem cap. scribit: *mysteria fidei, quæ rationem superant, credimus non intelligimus: ast per hoc fides distinguitur contra scientiam & melius per ignorantiam, quam per notitiam definitur.* Facile enim hic *abusus* loci deregitur, si ad fontem, ceu decet, recurritur, ex quo certè tum sensus loci, tum error versionis, quam Pontificii hinc non sine crimine sequuntur, elucescit. Cur enim non vulgatam potiùs suam sequuntur, quæ tolerabilior h. l. (ceus ostensū supra) quàm m. LXX? Cur non anathematis fulmine retrahuntur, quo ipsis à Tridentino prohibitū Concilio, ne quocunq; prætextu à vulgata descendant? Quo modo verò admittā etiā versione illā non probetur, notitiā esse fidei consequens, non v. partem vel primū ejus gradum, ut ostendamus, pagellæ non patiuntur. Ostendimus illud Dissertatiunculā XIV.



ILLUSTRIORUM JSAIÆ LOCORUM

ad Art. XIII. Aug. Confessi. de *Ufu Sacramentorum*, A. 1675.  
superh. l. ventilata. Conf. Prukn. Vindic. h. l. & alios.

LOCUS VII. JSA, VII 14.

De

*Virgineo conceptu partus, quo Immanuel in lucem prodiit.*

**L**oci hujus longè controversissimi, de *Virgine Messia Matre*,  
(quam ante Jsaïam nemini, quantum quidem ex scriptu-  
ris indubitato constat, innotuisse putamus) aliqualem exege-  
sin instituere volentibus plura quidem occurrunt tractatu di-  
gnissima; possemus enim pluribus exponere 1. Virgineam coti-  
ceptionem 2. concepti Messiaë nativitatem 3. nati appellationem  
4. appellati educationem; sed pagellarum & instituti ra-  
tionem habituri seqq. saltem dabimus (1) *Philologicam Con-*  
*troversarum vocum expositionem*, præcipuæ loci hujus quæsti-  
oni servitutam (2) ipsius *quæstionis Theologicæ*, ad exegetin  
loci præcipuè spectantis, *enodationem*, an sc. hæc Prophetia in  
*Jesu Christo, ex Virgine Maria nato, sit impleta?* 3. brevem *Ufus*  
loci in Theol. *controversa annotationem.*

§. 1. Inter voces enim controversas occurrit *עלמה*  
de qua quæritur, utrum sit *status* an *ætatis* nomen, vel an præci-  
sè *Virginem* significet *intactam* s. *illibatam*, an vero *juvenculam*  
*quamcumque* s. *nupta* fuerit s. *innupta*, s. *experta* virum, s. *igna-*  
*ra Viri*; Posterius Jhudæi, prius nos affirmamus. Sive enim vo-  
cis *originationem* sive *usum* ejus in scripturis respiciamus, de-  
prehendimus sanè, vocabulum illud nulli competere jure, quã  
quæ illam servavit virginitatem domiq; latens matrimo-  
nium non contraxit. Apud omnes enim in confesso est, *עלמה*  
*עלמה* fæmin. esse, à masc. *על* quod notat *adolefcentem* s. *ju-*  
*venem adhuc celibem* & *mulieribus absconditum*, conf. i. Sam. 17.  
56. c. 20. 22. & à Rad. *עלם* quæ in Niphal. significat *latitare*, *ab-*  
*sconditum esse, ignorari*, ut adeo *עלמה* i. e. *virgo*, dicatur, quæ  
*viro non patuit, sed abscondita, non detecta, viri ignara, non-*  
*dum.*

dum cognita est &c. Quod *usum* vocis attinet, sexies illa (quoad substratam materiam) extra h. l. in scripturis occurrit, modo in singulari numero, ut Gen: 24. 43. Exod: 2. 8. Prov. 30. 19. modo in plurali עלמות ut Ps. 68. 26. Cant. 1. 3. c. 6. 8. Semper vero in sex illis locis Virginem vel virgines notat illibatas. Cur e. non hoc etiam loco talem designaret? Unum tamen è sex illis Scripturæ locis, sc. Prov. 30. de בעלמה זכר h. e. *via viri ad Virginem*, excipiunt Jhudæi, in eoq; vocē hanc non *Virginem* sed *meretricem* significare contendunt, ne illam & hoc loco illibatam denotare virginem concedere cogantur. Sed exceptio est nauci: Sapiens enim vir h. l. per *viam viri ad virginem* intelligit occultas maximeq; mirabiles artes & insidias ad animos virginum devinciendos adhiberi solitas. An vero omnis via viri ad עלמה meretricia & fædæ libidinis est? Ponamq; verò talem esse viam libidinosi, an ideo statim omnis, in quam fertur desiderium viri impurum, meretrix est? Et quid porro admirandi habet via viri ad scortum? an illa Sapienti inexplicabilis? Et quid opus est insidiis viri, si scortum? Ast dicunt: sequente statim verl. 20. conjungitur *adultera*, E. עלמה v. 19. meretrix est. Sed qualis hæc consequentia? Potius e. nos invertimus argumentum: nam oppositio versus 20. docet per עלמה designari virginem. Conf. Helvic, Dispp. Gieff. Tom. 4. Calov. Bibl. illustr. Isa. 7. 14. p. 35. 36. Stat igitur sententia, עלמה de homine acceptum semper notare virginem: Igitur & h. l. Et certe nisi עלמה virginem hic notaret, partus עלמה signum haut foret miraculosum, quod cum quovis s. in cælo s. in terra dato contendere quiret v. 11. (tale enim Rex postulare jussus fuit) quodq; Deus ipse daturus erat, quod certè levius esse non potuit, quam quod Ahas petere dubitabat. An vero signum est miraculosum, si juvencula nuptui data & ex cohibitione maritali imprægnata, parit? Suffragantur LXX. & Sp. S. in N. T. qui עלמה per παρθέρον reddunt, quæ vox innuptam notat viriq; ignaram, quod omnes testantur Græci, Conf. Matth. 1. 23.

ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM

§.3. Deinceps vox occurrit controversa הרה, de qua quæritur an sit participium, an verbum præteriti temporis, an v. nomen verbale foem-generis, atque adeo an dicatur hic virgo prægnans est in præsentis, vel in præterito concepit; an virgo prægnans erit in futuro? B. Calovius Bibl. illustr. ad h.l. p. 36. dicit, sermonem esse non de virgine, quæ conceptura sit postquam marito juncta fuerit, sed quæ & virgo & jam prægnans sit, simulque rationem hanc subjungit: verbum n. הרה præteriti temporis est non futuri: vel certe est participium, uti sequens ויולדה ut ita designetur virgo quæ sit virgo & prægnans. Hactenus ille. Ceterum quomodo illi qui הרה participium esse dicunt, irregularem punctationem tueri velint, non videmus. Si quidem R. הרה in particip. præf. Kal. masc. habet הורה quod extat Gen. 49. 26. unde fæmininum הורה quod legitur Hof. 2. 7. & Cant. 3. 4. quæ v. differentia inter הרה quod h.l. est, & הורה? Qui v. (2.) præteritum esse putant, nonne in persona errant? הרה quidem 3. perf. præteriti masculina esse potest; sed quomodo masculinum הרה cum præced. fæm. עלמה construatur? Nonne, si præteritum esse deberet, dicendum fuisset הורה? Neque est quod Enallagen generis hic confingant: quid enim irregularitibus & ambagibus hismet opus, cum planius statuatur, הרה esse h.l. nomen verbale & exponendū per prægnans s. gravida, subintellecto verbo substantivo est, cujus, ellipsi nihil in fonte Ebraeo frequentius, vel erit: si quidem ipse Sp. S. & LXX. הרה per futurū exponunt. Matt. 1. 23. Neque novum est Radicem cum nomine coincidere: Ecce n. à R. קשה durus fuit est קשה durus & קשה dura, à R. יפה pulcher fuit est יפה pulcher & יפה pulchra &c. Quod verò etiam nomen tale à R. הרה detur, illud usus probat biblicus. Cum enim Exod. 21. 22. dicitur ונגפו אשה הרה & percusserunt fæminam gravidam, clarè patet vocem הרה esse nomen verbale: hinc & in fæm. plur. legitur הרות gravide Amos. 1. v. antep. & cum affixo הרותיהו gravidas ejus 2. Reg. 15. 16. Neque obstat sequens participium ויולדה & pariens, quod per

per arctissimè cum **הרה** cohæret: nam 1. copula non inferre esse participium, cum forma vocis reclamet. 2. potius dixerimus participium **יולרה** (ut alia solent) degenerare in nomen: neque 3. insolens est participium cum nomine conjungi. Quid? quod sensus loci nihilominus satis orthodoxè ex mente B. Calovii in principio hujus §. citata, fluit, & Virgo indigitatur, quæ & virgo & prægnans s. gravida & pariens sit.

§. 4. Sequitur verbum aliud controversum **וקראת** de quo controversantur, an sit 3. personæ fæm. præteriti Kal, pro **וקראת** i.e. *Et vocabis* an verò 2. personæ fæm. præteriti Kal. ut significet: *Et vocabis*? Certè qui prius statuunt, juxta illos **ה** affirmativa fæmin. 3. pers. præteriti in **ה** mutatur & **א** rejicit suum (+) ad præced. literam Schvatom, ut ipsa quiescat. Licet a. hujusmodi anomalia non adeo sit insolita: exempla vid. ap. Dn. D. Wasm. *Hebr. Restit. R. 35.* licet quoque sensus sic commodus fluat h. m. *Ecce Virgo prægnans est Et pariens filium Et vocabit Et c.* faciliùs tamen eorum fluere videtur interpretatio, qui vocem illam censent esse secundam fæm, præteriti Kal, ad formam **קראת** pro **קראת**. Nec obstat *Piscatoris* objectio, qui propterea **קראת** non posse hic pro 2. fæm. Præter Kal. haberi putat, quia **ת** non sit schvatum, Quomodo enim Schva expressum sub ultima lit. mobili **ת** locum habebit regulariter, cum penultima quoque **א** hic non habeat Schva, sed in præced. (✓) quiescat? Quod verò loca quædam occurrunt, in quibus Schva in fine est expressum, licet penultima non habuerit schva, ut **וקראת** *Et ingredieris* 2. Sam. 14. 3. & c. illud planè irregulariter accidit, adeoque regulam non infringit. vid. D. Wasm. l. c. Reg. 2. in fin. pag. Quid? quod sic quoque sensus non fuerit incommodus; verba enim: *Et vocabis nomen ejus*, commodè referentur, si non ad *Domum Davidicam* (quoniam **קראת** fæminini, sed vox **בית** generis masc. est, vid. Deut. 22. 8. **בית חרש**) ad quam ceteroqui sermo hic præcipuè directus conspicitur: vid.

præ-

ILLUSTRIORUM ISAIAE LOCORUM

præced. v. 13. tamen ad virginem matrem s. ad  $\eta\eta\epsilon$  Ecclesiam vel Synagogam Jhudaicam. Ceterum quoniam (1) hæc vox cum proximè præcedd.  $\eta\eta\epsilon$  ווירגין (in quibus tertia persona est vel erit subintelligitur) cohæret. 2. Ipse Spiritus S. Matth. 1. 23. in tertia persona, licet numero mutato, reddit:  $\kappa\alpha\lambda\acute{\epsilon}\sigma\sigma\iota$  *vocabunt*; nam *domus* pro familia, s. *Ecclesia* nomen collectivum est, adeoque & cum verbo sing. (quale hic Propheta habet) & pluralis numeri (quale Matt. 1. 23. adhibetur) construi potest. (3.) omnes ferè versiones vocem hanc in tertia persona reddiderunt, exceptâ LXX. quæ habet  $\kappa\alpha\lambda\acute{\epsilon}\sigma\iota\varsigma$  *vocabis*, at sæpissimè errat &c. neq; nos illis repugnamus, qui pro tertia persona vocem illam habent. Sententiam illorum, qui  $\eta\eta\epsilon$  *par-ticipiũ* dicunt, ceu planè vocis flexioni repugnantem, scientes præterimus. Præterea de significatione verbi  $\eta\eta\epsilon$  notari meretur, quod h. l. non tam de externa nominis impositione, quàm de verâ subjecti qualitate sit accipiendum, adeoque non tam *vocari* quàm *esse* significet, quomodo suprâ Isaia 1. 26. Deus de urbe Jruschalem dicit: *Vocaberis urbs fidelis* & Zach. 8. 2. *vocabitur civitas veritatis* h. e. talis futura est, ut merito ita vocari posset. Verùm de controversis loci vocibus Philologicè sic satis! Progredimur ad quæstionem Theologico-Exegeticâ.

§. 5. Quæritur enim, an per  $\eta\eta\epsilon$  *virginem hanc*, solum individuum MARIE semper-Virginis & per *Filium IM-MANUELEM* solus JESUS  $\text{Ἰησοῦς}$ , ejusque adeo ex Spiritu S. conceptio & ex Virgine Maria natiuitas hic unicè prædicatur, adeoque Prophetia hæc in Domino nostro JESU CHRISTO ex MARIA virgine nato sit impleta? Jhudaï id negant; Christiani vero omnes, quantum novimus, excepto tamen Grotio Jhudaizante, cum præeuntibus Socinianis quibusdam & seqvacibus, Episcopo aliisque rectius nobiscum affirmant. Quod ut magis pateat, breviter sententias Adversantium adducemus 2. nostram genuinam stabiliemus, & 3. quæ obstare videntur re-tur-

tundem. Sed paucis. Jhudæi hic in diversa abeunt, quod primo statim intuitu nobis indicio fuerit, quàm parùm ipsimet suæ fidant causæ. Quidã enim hoc vaticiniũ de *Cbiskia filio Achasi* vel de alio ipsius filio ex altera conjugè; alii de *nepote* ex filia ipsius prognato; alii de *uxore* filioque Prophetæ nostri exponunt. Nullam v. ex his Jhudæorum sententiis quadrare, probat *generatim* cum Prophetæ *scopus & intentio*, quæ populo Jhudaico maximam sollicitudinem adimere voluit; quæ propter sublimioris consolationis argumento, quàm Jhudæi confingunt opus hic erat: tum *promissũ à DEO signi* planè miraculosi *qualitas*, tum *matris virginis* conditio. Speciatim vero sententiam de *uxore Achasi filioque ejus Cbiskia* ex *Chronologia* partus, prophetiæ & ætatis filii refutant R. Jarchi, Aben Esra & Abarbanel, Conf. 2. Reg. 16 2. c. 18. 2. Sententiæ quoque *Abarbenelis* de alio *Achasi* ex alia Conjugè filio, vel etiam de *nepote Achasi* eadem rationes majori parte obstant, quæ priori sententiæ, sc. *Mater virgo, eminentia signi, filii nomenclatura*: prætereaque incertum, an Achas aliam duxerit conjugem & nepotem ex filia habuerit. Tandem quoque sententiam R. *Lipmani* aliorumque de ipsius *Propheta conjugè* filioque *Schar-jasubo* vel alio, unde cunqve refutari quis non videt? Quid? quod *Kim-ebi* & *Abarbanel* eandem hac ratione refutant, quod Prophetæeam, quam vocat *נביא* rectiùs dixisset *נביא* i. e. *Propbetissam*, prout c. 8. 3. vocatur.

§. 6. Post Jhudæorum deliria, vel ex ipso sententiarum divortio dignoscenda, paucis quoque *Grotii* & sequacium opinio dispicienda occurrit. Ille vero *literaliter* locum de *alio Jsaia filio*, quem duplici nomine vult insignitum; de *Christo* vero tantùm *mysticè* intelligendum statuit, ceu pluribus mentem suam ad Matth. 1. 23. aperuit, eamque fusius exposuit B. Calovius in Bibl. illustr. h. l. p. 32. Cum vero ovum non tam simile sit ovo, quàm *Grotiana* hæc glossa commentis hismet Jhudaicis

N

daicis

## ILLUSTRIORUM ISAIE LOCORUM

daicis jam refutatis, certe nec specialem ipsa refutatione meretur. Neq; v. Grotium excusat, quod *mystice* locum de *Christo* interpretetur; Si enim Iudæis conceditur, juxta sensum literalem ac nativum primoq; obvium, uti Gotius loquitur, agi h. l. (1) de virgine non innumpta sed virum experta. 2. de nativitate non miraculosa sed communi 3. de homine simplici & mero, non *θεωσωφ*, quo quæso jure modoq; locus urgebitur amplius contra Iudæos, pro Christo DEO-Homine ex Maria virgine nato, vel Christianis mysterium liquidò, ut ait ille, apparebit? Ecquis enim sub virgine virum experta, mystico sensu virginem subesse illibatam viri ignaram & quis sub partu ordinario ex cohabitatione maritali prodeunt partum virginalem? quis sub homine nudo Deum-Hominem intelliget aut perivaderi sibi metipatiatur? Conf. Calov. Bibl. illustr. h. l. p. 33.

3. 7. Missis ergo jam refutatis tam Iudæorum quam Iudaizantium deliriis, *nostra Christianorum sententia* paucis erit confirmanda: non enim operosa indigemus deductione ostensuri, quod de solo *Jesu Nazareno* locus sit intelligendus? quicquid n. hic prædictum, in eodem ipso ad amussim reperitur. Nam 1. *mater* dicitur *virgo intacta*. Nonnetalis Maria mater Christi, teste Angelo Matth. 1. & historia N. T. 2. *Virgo* dicitur *conceptura*; E. absque viro conceperit necesse est. Conceptita *mater Jesu* teste Angelo Matt. 1. 20. 23. & Luc. 1. 27. 31. 34. 35. (3. *Conceptio* illa vocatur *signum miraculosum*. Quid vero magis meretur signum & miraculum dici, quam Christum à Maria virgine sine virili semine conceptum & natum esse? (4) *Filius* ex virgine nasciturus *Immanuel* dicitur vel potius est, conf. supr. §. 4. Cui v. nominis id rectius, quam Christo tribueretur, qui *Immanueli. e. Deus nobiscum* s. Deus & homo in una existens persona & cui illud, quæ rem ipsam *ὄψας καὶ ἀληθῶς* competit? Conf. Isa. 8. 8. c. 9. 10. licet id nominis impositum ipsi non fuerit. Conf. Isa. 9. 6. (5) Testem interpretati-

ois

onis nostræ habemus Angelum omni exceptione majorem, qui certè legatus Domini ad Josephum Mariæ sponsum, consilio ejus de repudio tacitè, sine paradi-gmate, virgini Mariæ jam prægnanti mittendo opponit argumentum ex præsentivaticinio probatum Matt. 1. 23. Quid? quod *Archangelus Gabriel* in annunciatione conceptionis hujus virginalis Luc. 1. 31. digito velut exserto Mariam esse Virginem illam, quam designavit hic Propheta demonstrat, & vaticinii hujus verba ad Mariam mutatâ saltem personâ applicat: quod enim Propheta dixit: *ecce virgo concepit* (vel prægnans) *& pariet* (vel pariens est) *filium & vocabit nomen ejus Immanuel*, id angelus ita interpretatur: *ecce, tu virgo, concipies & paries filium & vocabis nomen ejus Jesum*. Quid jam evidentius, quàm Prophetam locutum esse non de virgine nupta, sed de Virgine quæ non agnovit virum, uti Maria de se loquitur Luc. 1. atq; ita vocem *נָחַיָּ* exponit. Quis jam glossæ Sociniano-Grotianæ locus, quod Propheta, quoad sensum literalem primoq; obvium, non de virgine pura & innupta, adeoq; nec de virgine Maria; sed de conjuge Isaïæ, non de Jesu virginis filio, sed de filio Isaïæ loquatur? De differentia & convenientia nominis *Immanuelis* & *Jesu* conf. *B. Calov. Bibl. illustr. h. l. p. 39.* Quid? quod *Immanuel* non nomen *nuda impositionis* sed *nature* est & verè Christo proprium. uti jam dictum

S. 7. Quod attinet Jhudaorum exceptiones & objectiones, nec illis suam tueri sententiam, nec nostram falsitatis convincere possunt. Agmen v. inter illas hæc ducit, quod *nativitas Jesu ex Maria, post aliquot secula demum futura, præsentis ab hostibus liberationis signum habere potuerit.* Sed Resp. dist. inter signum prognosticon, & confirmativum promissi, quæle non semper tempore complementum rei signata vel promissa antecedit Conf. Exod. 3. 12. 1. Sam. 2. 4. 1. Reg. 22. 25. 28. 2. Reg. 6. 35. Isaï: 38. 20. Quid? quod hoc Virginei partus signo certissimi erant, non expugnatû iri regnû Jhuda;: nã puer ille *Immanuel* nasci-



## ILLUSTRIORUM ISAIE LOCORUM

nasciturus erat ex domo David, E. domus David non destruetur  
da à duobus illis Regibus erat, quam diu virgo non conceperat.

S. 8. Nec obstat, quod juxta v. 16. antequam הנער *hic*  
*puer*, filius Virginis scivit malum reprobare &c. derelinquen-  
da sit terra à facie duorum Regum suorum, quod biennio post  
hoc vaticinium sit factum; hoc a. non quadret in Jesum Ma-  
riæ filium, qui aliquot seculis post demum est natus. Resp. multi  
explicant etiam hæc verba de Christo h. s. priusquam nascetur  
& adolescer filius Virginis, *jam dudum* illi Reges non amplius  
in regnis suis (quos tamen adeo metuis) dominabuntur &c.  
vel antequam Messias, si jam natus esset, sciverit &c. Minus v. co-  
acta & probabilior illorum explicatio est, qui versum 16. de alio  
subjecto intelligunt, sumto hic ה in הנער non ἐξ ὀνόματος de *Mese-*  
*sia* virginis filio, sed vel *διὰ τὸ ὄνομα* & *individualiter* de filio *Isaie*  
*Schar-jaschub*, quem manu gerebat, vel *specificè & indefinitè* de  
quovis, qui tum ætate puer erat. Conf. Isa. 3. 5. Non enim Pro-  
pheta dicit ה הנער, quod quidem videtur dicturus fuisse, si  
eundem virginis filium designasset; sed tantum הנער. Nec  
obstat ה emphaticum vulgo dictum: est enim articulus, qui etiã  
alibi, scil. Num 2. 27 cum eadem voce הנער indefinitè sumitur; & currebat  
ה הנער in Knabe & nunciabat Mose &c. Neq; obstat particula ה quã *Muscu-*  
*lus* versum 16. præcedentibus dicit annecti: Non n. illa simpliciter redditiva  
est, sed vel *per verum amen* conf. Isa. 66. 8. vel per *imò* reddi potest, ut con-  
nectatur hæc *specialis* promissio v. 16. cum priori *generali* q. d. *verum a-*  
*men* s. *imò* ut & propius confirmemini, accipite & hoc à me: antequam  
puer, quem manu gero, sciverit &c. Neq; obstat *Episcopi* exceptio: hoc  
non esse signum dare, sed tantum tempus indicare &c. Non enim speciale  
signum sed specialius promissum generali additum v. 16. censemus. Conf.  
*Calov. h. l. Glass. Exeg. Ev. & Ep. Fer. Annunc. De reliquis alibi.*

S. 9. Tandem (3) usus loci ita expositi in Theologia controver-  
sæ dogmatica maximè insignis est. Nam confirmatur inde contra varios hæ-  
reticos veteres & novos, (1) *Mariæ Matris Jesu virginitas* (2) *concepti-*  
*onis Christi absq; virili semine singularitas* (3) *Mariæ Jeonæ dignitas* (4) *ve-*  
*ra & integra Christi humanitas* (5) *Ejusdem Deitas* (6) *personalis natu-*  
*rarum in Christo unionis sublimitas.* Quæ alibi fusius tractantur,





LOCUS VII. IS

tundem. Sed paucis. Iudæi hic in  
statim intuitu nobis indicio fuerit,  
fidant causæ. Quidam enim hoc vatic  
de alio ipsius filio ex altera conjug  
prognato; alii de uxore filioque  
Nullam v. ex his Iudæorum sent  
neratim cum Prophetæ *scopus* & int  
maximam sollicitudinem adimere  
mioriconsolationis argumento, q  
pus hic erat: tum *promissio* à DEO sig  
tas, rum *matris virginis* conditio.  
am de uxore *Achasi* filioque eius *Cbisk*  
prophetæ & ætatis filii refutant R. Ja  
nel, Conf. 2. Reg. 16 2. c. 18. 2. Se  
lis de alio *Achasi* ex alia Coniuge filio  
si eadem ratione majori parte obse  
sc. *Mater virgo*, *eminentia signi*,  
eaque incertum, an *Achas* aliam d  
tem ex filia habuerit. Tandem quo  
ni aliorumq; de ipsius *Propheta* conyu  
alio, unde cunqve refutari quis noi  
*chi* & *Abarbenel* eandem hac ratione  
eam, quam vocat *מִיָּהוּנָה* rectius dixi  
prout c. 8. 3. vocatur.

§. 6. Post Iudæorum deli  
rum divortio dignoscenda, paucis  
opinio dispicienda occurrit. Ille v  
lio *Isaia* filio, quem duplici nomine  
vero tantum *mystice* intelligendum  
tem suam ad Matth. 1. 23. aperuit, ea  
lovius in Bibl. illustr. h. l. p. 32. Cum  
le sit ovo, quam Grotiana hac glo

N

at, quod primo  
m ipsimet suæ  
a filio *Achasi* vel  
te ex filia ipsius  
stri exponunt.  
are, probat ge  
pulo Iudæico  
propter subli  
confinunt o  
aculosi *quali*  
vero sententi  
ologia partus,  
fra & *Abarbe*  
que *Abarbene*  
de nepote *Acha*  
ori sententiæ,  
tura: præter  
gem & nepo  
am R. *Lipman*  
*bar-jasubo* vel  
id? quod *Kim*  
yod *Propheta*  
. *Prophetissam*,  
pso sententi  
i & seqvacium  
r locum de a  
tum; de *Christo*  
pluribus men  
exposuit B. Ca  
non tam simi  
is hismet Ihu  
daicis

